

lascivae foeminae adolescentium animos laerant, frucidant, immo et absumunt. Atque ad munditiam, quam Deus requirit in offerentibus ei munera significantiam, etiam in Levitico (c. 2) praecipit oblationes infermentatas sibi offerri: *Omnis oblatio, quae offertur Domino, absque fermento sit*: hoc est, ut exponit d. Bonaventura (*Diet. salu. tit. 2. c. 7.*), absque fermento, scilicet *usurae, rapinae, immunditiae, furti, vel cuiuscunque acquisitionis inivestae*: nam sicut teste Apostolo (1. Cor. 5.), *modicum fermentum totam massam corrumpit*; ita unicum solum peccatum mortale oblationem quantumcumque ingentis quantilatis auri reddit menstruatam, et impuram, ac nullius coram Deo meriti. Cum igitur b. Virgo super omnem puram creaturam, tam coelestem quam terrestrem, puritate mentis, et corporis emiterit, non potuit non esse parie offerentis oblatio eius omnium esse excellentissima. Quod si magnitudinem rei oblationis perpendamus, inde certe manifestas praestantiae Mariae oblationis deprehendimus: id enim, quod obtulit, fuit, ut ait divus Bernardus, *placabilis, et Deo placens hostia*: quibus verbis non obscure significavit munus, quod beata Virgo obtulit, non esse purum hominem, sed verum Deum simul: nam quatenus homo, erat hostia placens propter proximam eius participatam sanctitatem; quatenus vero Deus, placabilis erat ab eodem Christo, ut homo, in quo haec hostia omnes tam veteres, quam novas massas intervallo superat: illae enim fuerunt hostiae, quae placebant, sed non quae placebantur; in hac vero, quia in ea simul adest in unitate personae Deus et homo, placat, et placeatur: secundum humanitatem esse placens, secundum divinitatem placabilis. Atque hinc arbitrator consulto d. Lucam huius oblationis in templo historiam narratam dixisse parentes Christi tulisse illum in templum, ut *sisterent eum Domino*: non dixit, ut consecrarent illum Deo, sicut de aliis filiis (*Exodi c. 13.*) lex praecipiebat: *Quicquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino*. Sane, ni fallor, ea propter dixisse arbitrator, ut *sisterent eum Domino*, ut hoc loquendi genere significaret adeo excellentem, ac Deo gratam esse illam quam Virgo offerrebat hostiam, ut non aliud opus esset ad placandum Deo quam illam sistere, seu constituere in oculis eius. Unde videor mihi audire beatam Virginem in oblatione huius supremi muneris aeterno Patri dicentem: *Gratissimam omnium tibi offero hostiam: nam si pro reconciliatioe agnum postulabas, ecce Avgnus Dei, qui tollit peccata mundi*: sic bovem, ecce, qui portabat iugum, et aratrum crucis: sic columbam simplicem sine felle peccati, ecce, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius: sic vaccaem rufam desiderabas, ecce humanitatem Christi, circumcissionis sanguine iam rubricatam; sic tandem munus aliquod pretiosum, pulcherrimum, rarum, ac dilectissimum, ecce offero filium meum, qui cum non rapinam arbitratus sit tibi esse aequalem, necesse est munus sit pretio inaeestimabile; et cum sit splendor Patris, et figura substantiae eius, nec non speciosus prae filiis hominum, opus est pulcherrimum esse; et cum pariter sit

Deus, et homo, quo nihil mirabilius excogitari potest, nemo inficiabitur munus esse rarum, immo et phaenice rarius. Ac demum *quam Deus sit in Christo*, ut ait Paulus (*ad Ephes. 2.*), *mundum reconcilians sibi*, et, ut ipse affirmat, *Deus sit dives in misericordia*; non potest munus hoc a me tibi oblatum dilectissimum, ac locupletissimum non esse. Cedant ergo huic tanto muneri cuncta quantumvis magni valoris munera, tam Creatori, quam creaturis oblata, quorum tam sacra, quam profana meminit antiquitas. Cedat illud Vitelli Romanum imperium moderantis, qui unico convivio, ut auctor est Alex. ab Alex. lectissimorum piscium ferula duo millia, et avium septem millia praeter placentiam sexcentorum sexertiorum, et, ut explicat Plinius (l. 10. c. 5), quinque millium aereorum convivio obtulit. Cedat munus Cleopatrae, quae, ut refert Plinius, ex duobus unionibus valoris ducentorum quinquaginta millium aureorum, ut scribit Budens, unum in pulveres redactum bibendum dedit Marco Antonio. Cedat munus alterius margaritae, quam eadem Cleopatra Aegypti regina deae Veneri obtulit, tanti quidem pretii, ut tradit Macrobius, ut quantum integrum regnum aestimaretur. Cedat munus Antiochi, de quo Generabardus commemorat, obtulisse in templo pulcherrimum taurum, cuius cornu capside solido auro circumdabatur, colium pene innumeris magni pretii montibus ornatum, corpus vero totum regali purpura contextum erat. Cedat munus, quod Graeci propter parlant quandam victoriam templo Dianae Ephesinae dederunt. Cedat munus, quod Camillo, hoste suo profigato, matronae romane Apollini in Asiam miserunt; quod non potuit non esse magni valoris, cum torques, inanes, annulos, et reliqua omnia pretiosa monilia et offerrent. Cedat munus, quod Sylla propter reportatam de rege Mythridate palmam Deo Marti praesulit, pretiosum vas proprio suo sanguine plenum, quem gladius sibi feriens extraxerat ad eum mittens. Cedat munus aromatatum, quod regina Saba Salomoni donavit pretiosum adeo, ut sacer textus (3. Reg. 11) dicat: *Ingressa Ierusalem multo comitatu, et dicitis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem*. Cedat munus omnium divitiarum, quod Salomon ipse Deo obtulit ad aedificationem templi, in qua tot fecit expensas, ut nisi sacra Scriptura illas referret, incredibiles putarentur. Cedat munus omnium victimarum, quae tam lex naturae, quam scripta religioso ritu Deo contulit. Cedat munus regis Herodis, quod pollicitus fuit saltatrici filiae suae dicens (Marci 6): *Quicquid petieris, dabo tibi, licet dividam regni mei*. Cedat tandem munus, quod princeps tenebrarum ostendens Christo omnia regna mundi, et gloriam eorum ei obtulit: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Haec enim omnia vano, futilia, et nullius momenti munera esse nemo prudens non iudicabit, si cum inaeestimabili munere, quod beata Virgo hodierna die in templo aeterno Patri obtulit comparaverit: maxime quod Isaia (c. 4) dicente: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei*: certe in

conspectu tanti muneris reliqua omnia munera veraciter dicere possunt illud Davidis (*Psal. 38.*): *Et substantia mea tanquam nihilum ante te*. Atque hinc est, quod Christus Dominus videns omnium munus, et victimarum oblationem, quae toto tempore legis naturae, et scripturae facta fuit, insufficientem esse ad sedandam divinam iram, dixit (*Psal. 36*): *Sacrificium, et oblationem noluit; corpus autem aptasti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio, scilicet in templum a dilectissima mea Matre oblatum, postea in cruce a crudeli Hebraeorum noverca offerendus*. Hoc tantum beneficium prophetis oculis praevidentis David cecinit (*Psal. 70*), quod et hodierna die canit Ecclesia catholica, ut supra dicebam: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*: quo loco divus Bernardus (*serm. de Purif.*) docet, nomine *misericordiae* Deum carne indutum intelligi, quia Verbi divini incarnatio fuit supremum Dei misericordiae opus ad sublevandum miseriam humanam; et ideo per anomoniam nomen misericordiae meretur. Hanc igitur misericordiam ait David nos hodie recepisse. Sed numquid, David, non recepimus hanc misericordiam in medio uteri Virginis Mariae, cum in eo *Verbum caro factum est*? Numquid non recepimus misericordiam in bethlehemitica portica, cum in ea Deipara peperit filium suum unigenitum, et pannis cum involvit? Numquid non recepimus eandem misericordiam, cum in die circumcissionis sanguinem pro nobis effundere cepit? Numquid non recepimus misericordiam, cum in gremio Mariae velut in regali throno tribus regibus Magis se ostendit? Cur ergo magis David ait recepisse nos misericordiam in templo, quam in praedictis omnibus locis? Sane prophetam consulto id dixisse putaverim, quia Verbi divini incarnatio, inter alia multa, duo nobis magni momenti bona peperit. Primum est honor, per exaltationem naturae humanae, quo alius honorari, et exaltari nequibat, quam ad unionem hypostaticam in unitate personae divinae: unde gloriari potest dicens cum divo Paulo (*ad Hebr. 2*): *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit*. Secundum est utilitas, et commodum ex eo quod Christus Dominus se offerat Patri ad reconciliandum sibi genus humanum; quia autem haec oblatio, quae ab instanti conceptionis Christi fieri cepit, et in cruce complementum susceptura erat, hodierna die in templo fuit manifestata, ac divulgata, ideo scite David (*Psal. 47*) dixit: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*. Sed adhuc Davidem quispiam interrogabit: *Quare, cum Deus sit, qui munus hoc sibi oblatum suscipit, non dicit Deum, sed nos suscipere illud? Certe Deus suscipiens Christum, qui nomine misericordiae hic significatur, ipsam misericordiam susceperat*: cur ergo non dicit, *suscipit, sed suscipimus*? Respondeo, quod quia singularis haec misericordia, quia Filius Dei in carne humana pro nobis satisfecit, dependebat ex eo, quod Pater susceperet hanc eius oblationem: unde ipsam suscipere Dei fuit nobis dare, et misericordiam imperituri, idcirco non dixit *suscipit, sed suscipimus*, non alium quempiam, licet communiter

misericordiam tuam in medio templi tui. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Reversemus varias causas, propter quas Christus Dominus voluerit a Matre sua in templo praesentari, aliouqua praesentationis legi non obligatus. Prosequimur tamen duas; nimirum, ut legibus etiam suis principes parere; parentes vero bonae filiorum institutioni consulerent ab eo edocerentur.

Non defuere gravissimi Patres, qui in eam abirent sententiam, ut putarent Christum Dominum in praeepto praesentationis in templo, de quo (*Exodi 13*): *Sanctifica mihi omne, quod aperit vulvam de filiis Israel*, fuisse vere comprehensum. Cui sententiae adeo firmiter adhaerent, ut propter ipsum solum asserant institutum esse generale praeeptum, primogenitum in templo sistendi. Ita docere divus Ambrosius (*super cap. 2. Luc.*), Hieronymus (*lib. 2. cont. Iov.*), Chrysostomus (*hom. de occurrus Christi apud Sarrum*), Gregorius Nyssenus (*hom. de occurrus Christi*), Isidorus, divus Damascenus (*de Purif. b. Virg.*), Theophylactus, Enthymius, sequuti antiquissimum Origenem: qui omnes ea moventur ratione, quia lex dicebat, omne primogenitum aperiens vulvam, debere Deo offerri. Nemo autem aperit vulvam matris, nisi solus Christus: nam ceteri primogeniti aperiunt inventum ex praecedenti congressu cum viro. Unde Christus, cum absque viro operis fuerit conceptus, clausam invenit, quando natus est. Et ideo ipse solus est primogenitus vulvae matris aperiens; non quidem, quia eius integrum quoquo modo violarit, longe enim id abest a mente horum Patrum, sed hoc tantum *aperire* vocantur, quod est praevium esse, nec impedimentum transeunti Christo facere absque illa prorsus apertura. In quo sensu non semel verbum *aperire* accepit sacra Scriptura: Marci (*cap. 1*) enim dicitur: *Vidit coelos apertos*; non quod in coelis apertura sit facta, sed quod de coelis vox sit audita; et Actor (c. 7) legitur: *Ecce video coelos apertos, nimirum, quia Christum in caelo existentem sine impedimento videbat*. Ad eundem ergo modum hi Patres dicunt, vulvam Virginis apertam a Christo, quia sine impedimento transit per eam, non tamen, quod re ipsa aperta fuerit. In quo sensu intelligendum venit illud Isaiae (c. 45): *Aperiat terra, et germinet Salvatorem*. Patrum testimonia hanc intelligentiam adstruunt brevitas causa silentio praeteriens, unicum solum antiquissimi Amphiloehii Icomii episcopi (*hom. de Purif.*) reblabo, ubi, quo pacto illorum doctrina sit intelligenda, egregie his verbis declarat: *Quod Scriptura dicit: Omne masculinum aperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, ad solum Dominum Iesum refertur, non alium quempiam, licet communiter*

dicitur sit. Talis enim est uniuscuiusque virginis natura, ut primum viri congressu aperitur vulva ipsa, deinde pariat. Sed in Saluatoris nostri ortu non ita factum est: nam nulla præcunte viri cognitione in virgine Matre, ipse sine virginitalis illius corruptione ortus est. Itaque dictum illud: Omne masculinum aperiens vulvæ sanctum Domino vocabitur, vere, ac proprie ad Dominum referebatur. Numquid Cain sanctus fuit, quoniam omnium primus ex materno utero editus est? nunquid sanctus vocabitur, qui nefariam vitam terminavit? Num Esau vir bellicosus, et gladii hæres, sanctus dicitur, quia prior natus est, quam Jacob? An Ruben sanctus, quia primus ex utero matris editus, quippe qui patris cubile commaculavit? Nemo istorum sanctus fuit, omnes rei cæterunt. Ex his igitur manifestum est Scripturæ dictum illud: Omne masculinum aperiens vulvæ sanctum Domino vocabitur, proprie, ac vero ad solum Dominum Jesum spectasse. Idque confirmatur illo Gabrielis ad Virginem testimonio: Spiritus sanctus superve[n]iet in te, et virtus Altissimi obdu[m]brabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Sunt autem, qui nostris dictis adversantes hæc nobis obiciunt. Si Scripturæ locus ille: Omne masculinum aperiens vulvæ, sanctum Domino vocabitur, ad Jesum solum refertur: non igitur Virgo ipsa remansit virgo, cum Scriptura dicat: omne masculinum aperiens vulvæ. Animadvertite, et prudenter intelligite, quæcumque de virgine illa natura verba faciunt, quod scilicet nullo modo virginitalis illa porta patefacta sit, eius providentia, et voluntate, qui antea in ipsa conceptus est. Hoc enim futurum prædicit Spiritus sanctus, cum in prophetarum dicitur: Hæc porta clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingredietur, et egredietur per eam, et porta ipsa erit clausa. Quantum igitur pertinet ad virginem naturam, Virginis claustra nullo modo aperta sunt; quod vero pertinet ad potentiam genti Domini, nihil claustrum, omnia aperta, nihil quod impedimentum offerre poterit, cum omnia ipsi Domino sint reservata. Quomobrem et superiores potentiae clamantes dicebant: Tollite portas principes vestras, et introibit rex gloriæ; hæc Amphilo-chius.

Ceterum gravissimis aliis Patribus consentiens, nempe Cyrillo Ierosolymitano (de cecur. Christe), divo Ambrasio (ser. de Purif. t. 6. in prim.), nec non Aymoni (in c. 2. Luc.), et Cardinali Toledo (ibid. adnot. 36), omnino dicendum arbitror Christum Dominum comprehensum non fuisse in lege præsentationis filiorum in templo; tum quia in primis ipse proprie non aperuit vulvæ, Ezechiele (c. 44) dicitur: Porta hæc clausa erit Principi; est autem de fide semper extitisse clausam, cum Christus Matris integritatem nulla ratione violaverit, sed magis illustraverit; tum quia acceptio illa aperiendi metaphorica est, et non propria huius vocabuli significatio; lex autem illa generalis erat pro omnibus legitimis; qui proprie, et vere vulvæ aperiunt, hoc est, qui more consueto, et ordinario nascuntur, viam natalitatis suæ perfecte aperiendo. Unde verbum illud aperi-

non potest esse commune illis, et Christo Domino, nisi æquivoce. In præceptis autem divinis nemo est, qui non videat nullam esse æquivoocationem. Tertio quia verbo aperiendi, hæretici contra virginitalitatem Deiparæ oblatrantes frequenter abutuntur: igitur rationi consensualem est, catholicos ab hæc loquendi phrasæ se omnino abstinere. Quarto quia Christus Dominus etiam est exclusus ab illa lege per illa verba, Sanctum Domino vocabitur: non enim ipse sanctus Domino, sed sanctus sanctorum Dominus nuncupatur; ad eum certe modum, quo Ioannes dicitur futurus magnus coram Domino, Christus autem dicitur esse magnus simpliciter ab angelo: Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Unde eleganter divus Cyrillus Ierosolymitanus (hom. de occ. Dom.) dixit: Samuel quidem, et Isaac, et simul etiam Jacob, et Ioseph, et alii multi, qui præter spem nati sunt ex sterilibus, et aperiuntur infertiles vulvas matrum, sancti Domino vocati sunt; Christus autem solus ex toto unigenitus, cum virginales portas non aperuisset, non est sanctus Domino, sed sanctus sanctorum, et Dominus Dominorum, et Deus Deorum, et primogenitus primogenitorum, et rex regnantium; et vocabitur, et credetur, et nunc in templo a Simone prædicabitur. Tandem id ipsum confirmo ex præclaris illis verbis divi Patris Ambrusii (in concion. quad. de Purif.), ubi ait: Cunctis fidelibus liquet, nunquam Redemptoris matrem ex eius nativitate maculam contraxisse, quæ illorum diurnam spatio a sacris adibus abstinentiam purgaret, quæ sine humana concupiscentia, sine humo concubitu virgo concepti, et sine fine corporis corruptione virgo peperit, et sine fine virgo permansit; ac per hoc nec masculus ex ea natus vulvæ eius aperuit. Sed hoc iuxta legis narrationem Evangelista contentens, claudit impiis sacramentum divinæ incarnationis, Matremque legem observantem introducit. Nec mirum, si Mater observat legem, quam eius Filius non venerat solvere, sed adimplere. Sciebat, quo ordine conceperat, quo usu pepererat, quis esset quem generat; sed legem communem observans celavit Filii maiestatem; hæc Ambrusius. Potest etiam aliter dici, quod Patres illi, dum affirmant Christum aperiisse vulvæ matris, nihil aliud volunt, quam quod Christus ortu suo Virginis foecunditatem manifestaverit: nam si steriles licet aliquo cognati, dicuntur in sacra Scriptura clausæ: etiam quæ sunt foecundæ, dicuntur convenire apertæ.

Cum igitur Christus Dominus ex una parte ex verbis, et tenore legis moysæe non comprehenditur in lege illa præsentationis in templo, et aliunde ipse, tanquam principalis legislator, et ex Spiritu sancto conceptus, immo et Filius Dei naturalis, omnino exemptus esset ab omni obligatione moysæe legis, reliquum est, investigare causas, quæ ad eius observationem illum impulerint. Prima sit, ut adimpleretur quæ antiqui vates de hoc adventu in templum prædixerunt. David (Ps. 11) ait: Dominus in templo sancto suo veniet: Malachias (c. 3): Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem

vos vultis: Aggaeus (cap. 2): Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissima plusquam prima. Secunda, ut fidelem se ostenderet amico suo Simone in eo, quod ei pollicitus fuerat, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Dominum. Venit ergo in templum, ut promissum impleret. Tertia, quia hæc ratione moysæicam hæc primogenitorum legem adimplens sicut ceteri hominum, ostendebat mortali carne, et non, ut Manichæi existimant, ficta, et phantastica, esse indutum, cum profiteretur se conceptum, et natum ex muliere. Quarta, ne Iudæi excusationem, et ansam sumerent non recipiendi illum tanquam verum Messiam, cum ex sacris Scripturis cognovissent Messiam venturum, non ut solveret legem, sed ut adimpleret, verboque, et exemplo eius observantiam doceret. Quinta, ut nos suaderet cultum, et venerationem templi, et cum Deo conversari. Sexta, ut manifestum nobis fidelibus humilitatis exemplum præberet, cum neque vestigium aliquid habens peccati, aut immunditiæ, minime recusaverit in templo presentari, et sacrificium pro se offerri, quod, ad hæc expianda, lex Moysi præfixerat. Septima, quia cum nollet tunc mysterium incarnationis, et miraculum conceptionis suæ omnibus manifestari, voluit omne offensivum, et scandali occasionem, quæ propter eius ignorantiam suboriri poterat, penitus auferre. Octava, quia voluit Matris suæ honori consulere, quæ si non præsentaret ipsum in templo, tanquam divinæ legis violatrix, male apud omnes audiret. Nona, ut nos omnes, præcipue tamen viros illustres, et principes, tam seculares, quam ecclesiasticos edoceret, non solum divinis, et humanis legibus, immo et eisdem quas ipsi tulerunt, subiectos et obtemperantes esse oportere. Equidem Christus Dominus, licet aliquando esset supremus legislator, qui Moysi in monte Sinai eam legem dictaverat, atque adeo liber esset a vi coercitiva legis tanquam illius auctor, ut habetur (in leg. Princeps. ff. de legibus), ei tamen se subicere non refugit. Quod miratus s. Iob in illa verba prorupit (cap. 36): Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. Dissimilitudo in eo proculdubio consistit, quod alii imponunt subditis onera gravia, ipsi autem nolunt ea digito movere; Christus tamen Dominus unus legis non recusat supra se suscipere, ut sapienter dixit Isaias (cap. 9): Cuius principatus super humerum eius; quod perinde fuit, ac si dixisset, ut paraprastis chaldaee interpretatur: Suscepit legem supra se, ut servaret eam. Eaque observantia a morte aeterna nos præservavit, sicut ob defectum eius primus parens in reatum mortis aeternæ nos incurrere fecit; Apostolo dicente (ad Roman. 3): Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituentur multi. Equidem boni principis est eas leges custodire, quas custodiendas populo imponit, et imperium suum, hoc est: quod aliis faciendum imperat, super humerum suum ferre. Unde Deuterialis (capite Cum omnes extr. de Constit.),

Inquit: Pro quo, quis iure utitur in alterum, ipse eodem debet uti, cum sapienter dicit auctoritas: Pater legem, quam tu ipse tuleris. Hinc Elianus (lib. 13. Var. Hist.) refert Zaleuchum aliquo paganum, cum statuit legem, ut adulterium committentis oculi eruerentur, deprehensum propriam filium huius legis transgressorem, cum universus populus pro eo obnixè deprecaretur, regem ne statuta parte principis puniret, volens ex una poena populum exaudire, et ei complacere, et aliunde legem inviolatam servare, unum oculum sibi eruit, et alterum filio. Hoc eodem zelo legis rex Saul motus filium suum Ionatan, eo quod contra statutam legem de favo mellis gustasset, morti addidit (1. Reg. 14): Morte morieris Ionata; et nisi populus in brachio fortis de manibus patris illius eripuisse, sententia mortis executioni fuisset demandata: Dixitque populus ad Saul: Ergo ne Ionatas morietur? Liberavit ergo populus Ionatan, ne moreretur. Hæc principum observantiam etiam eorum legum quas ipsi statuerunt, apprime necessariam esse, ut subditi eas colant, et observent, his verbis sapienter docuit magnus pater sanctus Isidorus (lib. 2. sent. cap. 52): Iustum est, principem legibus obtemperare suis: tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reverentiam præbet. Ibidem etiam hæc præclaram sententiam scripsit: Non convenit principes in se frustrare iura, quæ in subiectis constitunt: iusta est enim vocis eorum auctoritas, si quod populi preceperit, sibi licere non patientur. Sed prob dolor! principes huius tempestatis hæud paucos videntes non solum suarum, et divinarum legum non claudentes, sed publicos transgressores! Quibus acciderit mihi videre, quod accidit gallo, qui propter coronam quam habet, symbolum est regis: tradunt naturales, gallum innotam inimicitiam contra basiliscum habere, adeo ut qui Africam petunt, ubi magna reperitur basiliscorum copia, ut securus iter suum peragant, plures gallos secum portant, quas singulari industria præcedent, ut frequentur cantantibus, basilisci illos audientes auferant. Gallus nihilominus, qui tanto odio basiliscos prosequitur, figuræ, et parere solo basiliscum, omnibus aliis illius regionis detestorem. Quemadmodum ergo gallus basiliscum persequitur, et nihilo minus eundem intra viscera, tanquam proprium locum fovet, et nutrit, ac in lucem elicit; ita legislatores, et principes non pauci illa, quæ in aliis horrenda persequuntur peccata, et severissimis supplicis plectunt, eadem ipsi amanti, fovent, et amplectuntur, ut contigit Sauti regi, qui relegari præcepit a populo Dei, tanquam infestissimos basiliscos, superstitiosos augures, et phylionasas, prohibens ne quispiam illas consuleret; ipse tamen instar galli, basiliscum fovit, et foras protulit, hoc est, phylionasas quaesivit, quam consuleret de eventu, quem prænosceret desiderabat, eandem quam ipse tulerat legem violans. Horum, et similium principum conquisitorum Deus per Esdram dicens (Esd. 3): Optimates autem eorum non posuerunt colla sua in opere Domini Dei sui. Quod propterea recenset, quia cum edificabatur templum

Dei, unusquisque pro modio suo aedificationi inserviebat; soli vero principes dedignabantur servili illi operi vacare, quia sicut in pravis operibus sunt frequentiores, ita et in abstinentio se a bonis sunt omnibus segniores.

Quid plura? Certe huius saeculi legislatores legibus utuntur tanquam araneorum telis, quibus muscae, hoc est, impotentes et vulgares facile coercentur, potentiores vero eius staminali nullo negotio perumpunt. Eleganter Lactantius: *Quicumque, ait, dat praecipia hominibus, ad vitam moresque fingit aliorum, si quidem bona sunt quae praecipit: at ipsi eodem modo vivendum est, quod docet esse vivendum; ne si atiter ille vixerit, praecipitis suis fidem detrahat, levioresque doctrinam suam faciat, si re ipsa resolvat, quod verbis nititur obstringere. Cum igitur quis non faciat quae praecipit, quae insolentia est, ut homini libero imponere velit leges, quibus ipse non pareat? haec ille. Tempore Neronis lex erat contra nocturna latrocinia, et discusiones per urbem; et cum ille iam transgredere, illico sceleratorum licentia laxata est, ut Iuvenalis dixerit (sat. 10):*

Nocte iter ingressus gladium contumpe timeret.
Et motae ad lunam trepidaret arundinis umbram.

Mali doctores qui se a legibus eximunt, qui cum Caligula censent, omnia ipsis, et in omnes licere; sive cum Salsustiano Memmio, impune quodlibet facere regum esse; immo qui praestititiae, eam praestitit, et exemplo commendat. Immititur Theodosianus, de quo Panegyristes: *Item es qui fustis, et tantum tibi per te licet, quantum per leges antea licebat.* Democritus Laetiaemontiorum rex Spartana civitate a suis proscripsit, quod legum proscripita transgressus fuisset, cum rogaretur, cur Sparta exularet, respondit: *Quoniam leges in ea potentiores: quo dicto laudabat suae gentis instituta, per quae compellebatur exulare: nec iniquo animo ferebat exilium, legum auctoritate interdictum.* Pausanias Pistonactis filius percontanti cur eadem in urbe Spartana nefas esset ullam priscarum legum innovare: *Quoniam, dicebat, legibus convenit auctoritas in homines, non ab hominibus in leges.* Hinc etiam s. Augustinus: *In istis temporalibus legibus quamquam de his homines iudicent, cum eas instituant, tamen cum fuerint institutae et firmatae, non licebit iudici de his iudicare, sed secundum ipsas.* Apud Ausonium legimus: *Pareto legi quisque legem sanxeris.* Paruit certe Antigonus Macedonum rex, cui cum blandius quidam suggereret, *omnia regibus duntaxat: at nobis ea, quae honesta sunt, et iusta, quae iusta: retudit adulatorem, et docuit, Regem iustitiae legumque ministrum esse, non regulam.* Quin et civitatibus scripsit, ut si quid forte iuberet, quod adversaretur legibus, non admitterent. E christianis qui hic sua laude etiam non privantur, Carolus Magnus unus est. Hic capulo cui insignia imperii insculpta erant, edicta a se emanata signabat, adiciens frequenter: *Eiusdem est confirmare, cuius est defendere leges.* Occurrit quod de Agesilao principe memorat Plutarchus: hic cum maximam

Asiae partem armis subgessit, in animum induxit ipsum regem Persarum bello laessere, quod Graecorum decus pecunias seduceret, et revocatus domum paruit, dicens: *Bonum imperatorem legum imperatris parere oportere.* Cuius animi inter christianos principes fuit Alphonsus Aragonum rex, cui frequens in ore: *Inapte agunt principes, qui aliis honeste beneque vivendi leges proponunt, ipsi vero nihilo meliores, temperatiorisque se praebent:* Octavianum Augustum ita poenitebat, quod adolescentem qui filiam suam Iuliam constupraverat, contra suae legis sanctiones manibus verberasset, ut eo die caenam sumere negligeret. Quis princeps in tali crimine sibi temperasset? Sed tantus imperator adeo sibi displicuit, ut a se ipso poenas sumeret, quod legi, quam aliis proderat, non per omnia parisset. Disceant igitur legislatores, conditum a se legum observantiam, cum illorum, tum maxime Christi Domini exemplo permoti, qui eam legem, e cuius observatione merito se extimere potuissent, sponte tamen adimplevit, ut ceteros legum conditores ad eandem observantiam provocaret. Parum est enim leges praescribere, et promulgare, nisi earum conditores vitae innocentia, quam aliis proponunt, praecant. Sic enim Solon bene respondisse iudicatur apud Valer. Max. Interroganti namque *qualiter optimam Civitatem gubernaretur, dicebat: si principes et maiores secundum leges vixerint.* Illorum verum non exemplator, veluti primum mobile reliquos coelos, subditos rapit.

Decima causa sit, quam elsi postremo loco appono, ultimum tamen minime tenere arbitror: nimirum, ut a parentibus Christus dominus praesentatus, parentes doceret, quanto citius possint, debere filios suos ab huius saeculi uberibus avellere, et Deo illos sacrare. Sunt enim multi parentum nomine indignissimi, qui velut antiqui idolorum cultores filios suos idolo Moloch summa impietate offerunt, illud divinum violantes praecipitum: *De semine tuo non dabis ut conferatur idolo Moloch:* pro cuius loci explicatione observandum est, idolum Moloch sub figura tauri depingi, et efformari ab antiquis: praecipiens ergo parentibus, ne Moloch filios suos offerant, perinde fuit, ac si diceret: *Nolite ita crudeles esse, ut charissimos filios tauri cornibus in frusta diriperetis tradere velitis.* Unde Eliphaz, falso putans Iobum puniri a Deo propter malam filiorum educationem, dixit ei (Job 5): *Scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam non peccabis. Scies quoque, quoniam multiplex erit semen tuum; quasi diceret, curam habens domus tuae, visita illam. Species enim familiam ipsam significat, quia uxor cordata, filii obedientes, servi bene morigerati, sunt species, decor, et pulchritudo domus. Explora igitur semel et iterum, quomodo se gerat uxor, filii, et servi. De Talo fixerunt poenae, fuisse custodem quandam insulae Cretensis, qui obnoxius erat ter in die illam visitare, et scrutari. Videns autem Vulcanus, difficile admodum esse, et per se ipsum toties tolam lustraret, et percurreret insulam, loco eiusdem venae, quae a cervice usque ad ta-*

lum pedis proferenditur, virgam ferream substatuit, ut sic nec erura fleterentur, nec laxarentur. Quia tamen ipse misere deceptus a phyttonissa, Circes nomine, permisit virga illa ferrea expoliari, ac propterea deinceps non posset tolam illam insulam toties perambulare, et frequenter visitare, universarum divillarum iacturam Creta passa est, et ipse condignas suae imprudentiae, et pravi regiminis poenas luit. Hoc igitur est, quod Eliphaz Iobum monuit: *Visita speciem tuam: explora familiam tuam, alioquin tu, et illa, iacturam patiemini.* E contra vero si debitam curam in hac visitatione adhibueris, *multiplex erit semen tuum, et progenies tua, quasi herba terrae.* Lactantius eam fuisse causam, ob quam primo, qui Deum ignorarunt, fuisse filios Cham, inquit: *Quoniam princeps eius, et conditor, cultum Dei a patre non accepit, maledictus ab eo.* Itaque quia Cham maledictus a patre Noe, doctrinamque eius contemnens, filios suos, tanquam ignarus non instruit, ideo paulatim ignorantia legis divinae serpit per omnes eius descendentes. Ecce quantum noxamentum inferat prava filiorum, et praecipue cum teneri sunt, educatio. Hoc non obscure significavit Deus, cum Abrahae manifestavit horrendum illud supplicium, quo Sodomam, et Gomorrah panire decreverat: cum enim dixisset (Gen. 18): *Nam celare poterat Abraham quod gesturus sum? Reddit rationem quare non posset celare: Scio enim quod praecipitur sit filiis suis, et domui suae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium, et iustitiam;* quasi diceret: Cum Abraham agnoscat inverecundam Sodomae libidinem, et licentiosam vivendi rationem ex prava filiorum educatione, quia ab execrando illo peccandi genere non solum filios non arcebat, sed exemplo suo ad illud provocabant, et quod valde Deus execrabatur, de peccato illo gloriabantur (Isai. 3): *Et peccatum suum, sicut Sodoma, praediceverunt, hinc Abraham ediscet de educatione filiorum suorum sollicitam curam gerere.* Equidem Salomon probe agnosens quantum intersit bona filiorum educatio, dixit (Prov. 29): *Virga, atque correptio tribuit sapientiam; puer autem, qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam: et ibidem: Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animae tuae: quasi diceret: O parentes, si filiorum vestrorum commodis, vel incommodis non attenditis, saltem vobis ipsis consulite; nam si bonae illorum educationis curam sollicitam non contemnitis, adhuc in praesenti vita praemio vestro fruimini: Refrigerabit, et dabit delicias animae tuae. Si autem filios erudire, ac bonis moribus informare neglexeritis, aderit prae foribus supplicium, Spiritu sancto dicente (ibid.): *Puer, qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam.* Atque hinc est, philosophum quandam, ut auctor est Lycostenes (lib. de praecip. mal.), cum vidisset quandam puerum rem turpem in conspectu sui praecceptoris fecisse, contra praecceptorem, et non contra discipulum iracunde dixisse: *Cur sic instituis? Ecce refundebat in magistrum propter pravam eius institutionem tolam discipuli culpam.* Ut in haec ergo, o pa-*

rentes, non incuratis, proposito vobis Spiritus sancti documento, obscurandae satagite; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Evangelii, quod Ecclesia romana canit in die purificationis beatae Virginis, singula verba erudita paraphrasim explicamus, inchoantes ab illis: Postquam impleti sunt dies purificationis eius; quorum variae mysticae expositiones apponuntur.

Postquam impleti sunt dies purificationis eius. Ante omnia oportet ex professo exponamus, in purgatio haec sit referenda solum ad Matrem, vel tantum ad Filium, vel certe ad utrumque, vel ut aliis placet, ad solos parentes: his enim quatuor modis possunt explicari proposita verba: *Postquam impleti sunt dies purificationis eius.* Licet enim nostra vulgata, et nonnulla etiam graeca exemplaria, habeant particulam *illam eius*, in quibusdam tamen illorum est masculini generis, in aliis foemini; unde in illis refertur purgatio ad Christum, in his ad Virginem; alia vero habent eorum, ut refertur ad Matrem, et Filium, vel ut alii volunt, ad ipsos parentes, sed ad eosdem simul cum filio, ita ut omnes subierint purificationem. Hinc multiplex opinionum varietas pululavit. Quidam enim dicunt, hanc legem purificationis minime pertinuisse ad Christum, sed ad Matrem: ita Lyranus (Levit. 12), quem sequuntur Abulensis (p. 23, et 30), Caiet. Tolet, et multi alii: confirmatque, hanc esse amplectendam sententiam, quia subiungitur, et tradet sacerdoti qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea: quae verba satis aperte indicare videntur, foemina esse, pro qua sacerdos offerat hoc sacrificium, atque ipsam esse quae purgatur, sicut pro ea orabat, ut mudaretur. Facit etiam ratio a Caietano adducta, et ab ipso lectu desumpta: nam ibi dicitur, offerret pro peccato foeminae, orabitque pro ea Sacerdos: quae verba intelligenda sunt de matre. Regulare enim est in sacris Bibliis, ut offerret pro peccato intelligatur, offerre pro peccato suo. Accedit, quod tempore praesentationis nullus filius habebat peccatum, pro quo offerretur: originale enim iam supponebatur per circumcisionem delatum, vel in foemina per aliquid remedium illis accommodatum. Ac tandem quia senes Ecclesiae in eam sententiam inclinat; nam in missalibus romanis positum est: *Cum impleti essent dies purificationis Mariae; videturque satis id textui consentaneum; dum ait: Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae. Omne sanctum non tangit, nec ingreditur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suae.* Si autem quae-ras a citatis auctoribus, quod sit hoc foeminae peccatum, ad quod sacrificium offerretur; respondent Abulensis, et Caietano, nullum esse in particulari, sed in communi pro peccatis, a quibus nemo est immunus; quod quidem du-

riusculum est: nam hæc peculiaria sacrificia semper ad peculiarem maculam delendam erant instituta. Lyranus aliquod peculiare peccatum pro quo offerebatur sacrificium, assignat, nempe pro peccato veniali libidinis, quod in coitu, quantumvis licito, frequenter admiscetur, saltem secundum aliquam venalem inordinationem. Sed neque hoc videtur veritatis conscientaneum, tum quia hoc peccatum non necessarium, neque semper committitur; sacrificium autem necessarium erat, et semper offerebatur; tum etiam quia eadem ratione instituendum esset sacrificium pro simili peccato viri, si quidem eodem irretitur libidinis peccato; tum denique quia, si quod est huiusmodi peccatum, non in partu, sed in congressu committitur. Præ ergo hoc expiandum esset, neque oportuisset partum expectare. Burgensis (*in hunc locum*), quem sequuntur aliqui recentiores, respondet, hoc non esse peccatum aliquod, quod sit vera culpa, sed esse legalem immunditiam, vel irregularitatem ex sordibus puerperii, et fluxu sanguinis contractam. Sed licet hæc expositio probabilis sit, interrogare ab his auctoribus licet, cur non possit similiter explicari de peccato filii, id est, pro immunditia legali, et irregularitate contracta ex immunda natalitate? Propter has rationes adductas, alii multo secus opinantur, dicentes, verbum illud *pro peccato*, esse ad prolem referendum, ut illud sacrificium esset propter aliquod peccatum prolis expiandum. Ita docuit Augustinus (*lib. Questionum in Leviticum quest. 40*), quem sequuntur multi Patres, Ugo Cardinalis (*Levit. 29*), Rupertus (*lib. 2. in Levit. cap. 16*), Beda, et Euthymius (*in hoc loc.*), Sanctus Eligius (*homil. de pur.*), et divus Thomas, Glossa ordinaria (*Levit. 12*), et Caietanus (*3. p. q. 37. art. 3*). Videtur autem divus Augustinus fundamentum sumere ad hanc asserendam sententiam ex verbo illo Levitici: *Cumque capti fuerint dies purificationis suae pro filio, sive pro filia, deferat agnum anniculum: quia tamen ipse non ignoravit posse facile responderi, verbum illud pro filio, sive pro filia, non esse contractuendum cum sequenti verbo, deferat agnum, sed cum antecedenti scilicet, cum capti fuerint dies purificationis; ita ut sensus sit, cum impleti fuerint dies purificationis, designati pro filio, sive pro filia, deferat agnum in holocaustum: cum inquam hæc expositionem, quae plane literalis est, Augustinus videret, adiunxit verba huius capituli Lucae: Cum induceret puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo; quibus indicatur, pro filio oblatum fuisse sacrificium, non pro matre. Sed etiam hæc verba citata a divo Augustino, non se sumpta, non admodum cogunt, quia referri possunt non ad hanc legem, sed ad alteram supra expositam: Induxerunt cum in templum, ut pro eo facerent secundum consuetudinem legis; id est, ut illum praesentarent, et offerrent Deo. Obstat tamen hæc expositio Ecclesiae in officio purificationis, responsorio secundo et tertio primi nocturni, dicens: obulerunt pro eo par turturum, ubi videtur Ecclesiam referre ad prolem, non autem ad matrem. Video hoc verbum, pro eo, tor-*

queri quidem posse, ut dicatur oblatum sacrificium pro eo, id est, propter ortum eius, seu occasione illius; sed is sensus improprius videtur: unde ut debitus honor deferatur tot sanctis Patribus, eorum sententia pie exponenda est. Non enim sancti hi Patres tam aperte dixerunt, hoc sacrificium pro peccato originali prolis fuisse oblatum: nam licet Augustinus dicat, hic indicari vitiatam originem ex Adamo, et prolem in iniquitatibus esse conceptam; propter quod d. Thomas (*3. p. q. 37. art. 3*), ait, hoc sacrificium fuisse ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta; nihilominus non est existimandum, loquutus fuisse de peccato originali quoad culpam eius, quam ubique docent auferri in circumcisione; sed loquuntur de immunditia contracta ex vi conceptionis impurae ac libidinosae, et natalitatis sordidae, atque, ut ita dicam, sanguine conspurcata, qua proles sordidata egreditur de vulva matris. Et quia huiusmodi corruptio et sanguinis immunditia ex infectione peccati originalis orta est, ideo sacrificium illud dicitur esse pro peccato. Atque id ita docet d. Chrysostomus (*hom. de occ. Dom.*), ubi explicans verba illa, sicut scriptum est in lege Domini, ait: *Ubi corporae expiationis mentio habetur, ibi legi mosaycae tribuitur.* Ceterum si cuncta recte conspiciantur, quae dicuntur Lev. 12 de purificatione parientis, et de prole, una cum his quae hic dicuntur de eadem purificatione, satis probabiliter, imo, ut plerique censent, multo verius, et probabilius esse illud verbum *pro peccato*, neque ad solam matrem, neque ad solum filium, sed ad utrumque esse referendum. Quod sane videtur d. Augustinus (*in comm. hui. loc.*) indicasse his verbis: *Cur ergo non illud quod natum est, purgari dicit Scriptura per hoc sacrificium, sed ipsam quae peperit? an ad ipsam quidem, unde illa origo trahatur, relata purgatio est propter sanguinis fontem? non poterat tamen sine ipsius factus purgatione, qui ex ipso sanguine exortus est. ecce aperte utriusque purgationem matris, et filii complexus est Augustinus. Eandem sententiam videntur sequi multi sancti Patres legentes in numero multitudinis: Cum impleti essent dies purgationis eorum, ut Origenes, Theophylactus, Euthymius, Guericus Abbas, qui ait: *De illa spirituali purificatione quam Maria offerens pro se, et pro filio prosequamur.* Haymon etiam inquit: *Postquam impleti sunt dies purificationis eius. Alii dicunt, purificationis Domini. Alii, purificationis Mariae: sed utrumque possumus intelligere.* Et s. Ildephonus archiepiscopus Toletanus ad eundem modum de utroque intelligit (*sermone primo de purificatione*), dicens: *Postquam autem impleti sunt dies purificationis eius, vel Domini scilicet, vel matris illius; una enim eodemque ordine mater cum filio expiari iubetur.* Ioannes tamen Chrysostomus quamvis legit in numero multitudinis: *Impleti sunt dies purificationis eorum, non refert ad prolem, sed ad parentes; ait quippe in hunc modum: Impleti sunt dies purificationis eorum: cuius quæso purificationem? Joseph haud dubie, et Mariae.* Consentit cum illo Euthymius (*in cap. 2. Lucae*). Ut autem exactius intelligas retri pos-*

se sacrificium pro peccato, non ad remissionem alienius culpa, adverte eam vocem ibi esse impostam ad significandum quoddam genus sacrificii instituti ad quamcunque expiationem, ut videre est in similibus multis locis sacrae Scripturae (*Levit. c. 14. et 15. et alibi saepe*). In hac ergo lege purificationis praecipiebatur foeminae, ut tam pro se, quam pro filio offerret holocaustum in gratiarum actionem, et sacrificium pro peccato, ad suam purgationem, et sacrificionem filii, qui speciali modo tunc Deo dicebatur: nam licet per circumcisionem masculi sanctificarentur, tamen neque illa caeremonia fuerat peculiariter in lege Moysis instituta, sed multo antiquior, nempe ex tempore Abrahæ; neque erat generalis omni proli, siquidem foeminae non circumcidebantur, et habuit aliam propriam, et specialem rationem institutionis: et ideo conveniens fuit, ut per speciale legis sacrificium statim filii sanctificarentur legali sanctificatione, ac Deo consecrarentur, vel certe ut magis ac magis mundarentur, ac liberarentur a reliquiis originalis peccati, ut Hugo Cardinalis adnotavit, et indicavit Euthymius, expendens quae iusserit lex, ut daretur par turturum in sacrificio. Ceterum iam varia arcana quae in propositis verbis, et postquam impleti sunt dies purificationis, ad informandos mores multum conferentia reserare incipiamus. Ut tamen nullum etiam minimum tota non praetereat, non frustra arbitror Evangelistam apponisse illam copulativam, et, dum ait: et postquam impleti sunt. Utenim in commentario huius loci scite observavit divus Cyrillus, post circumcisionem servus expectavit Christus Dominus tempus purificationis, et praesentationis suae in templo; non enim quasi defatigatus ex acerbae circumcisionis legis observantia, renuit legem aliam, ut sisteretur in templo, ad unguem observare; quo docemur uno impleto praeepto, alterius observantiam non esse contemnendam, sed post impletum unum mandatum, mox ad aliud implendum accingi debere; ad quod significandum Sponsa dixit sponsae (*Cant. 1*): *Murenulas aureas faciemus tibi*: has enim quidam Interpretes dicunt esse varios annulos inter se connexos, qui propterea divinae praeepta egregie adumbrant, in quibus observantiae connexio, instar annulorum, ex quibus murenulae aerae conficiuntur, maxime elucere debet. Observandum tamen est, quod ubi Vulgata nostra in eodem loco legit, *remiculas argenteas*, alii vertunt, cum *clavis argenteas*; quo non obscure indicatur, iustorum animos divinis praeeptis velut clavibus transfigi debere, ut eius observantiae tenacissime adhaerent. Beda (*sup. c. 2. Lucae*) aliud arcanum in copulativa illa et, circumcisionem cum ingressa in templum coniungente advenit, dicens: *Mystice designat neminem nisi circumcisum vitis, dominicis dignum esse conspectibus, neminem nisi mortalitatis nexibus absolutum supernae civitatis gaudia perfecte posse gustare; quia non habitabit, inquit, iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.*

Ad hæc: *Postquam impleti sunt dies purificationis eius*: ecce beata Virgo, licet aliquando

legi purificationis non obnoxia, utpote quae non ex viri complexu, et ut lex dicebat, *in scripto semine*, sed Spiritus sancti fecundata virgulo conceperat, legem nihilominus purificationis ad unguem observat: quo apertissime illorum segnitium, ac desidiam reprehendit, qui tepide ac defectuose, imo adeo avare Deo inservit, ut nisi quod faciendum illi proponitur, et sub peccati mortalis poena illi obliget, id exequitioni mandare omnino renuant; idque tam solliciti faciliunt, quam si ex huiusmodi avaritia, qua erga Deum utuntur, minus illi dantes quam oporteret, aeterna civitas satus dependeret. Hi sunt qui cum divina praeepta implent quoad substantiam, ut theologo loquuntur, in modo tamen deficiunt, debitasque apponere circumstantias negligunt: audiunt quidem dicbus festis divinum sacrum, sed inter se in ecclesia confabulantes: orant in templo, sed cum mentis in varia negotia vagatione: eleemosinam largiuntur, et illatam iniuriam inimico parant, sed antiquam beneficentiam, qua illum antea prosequabantur, negant; quomodo olim pepercit David Absoloni offensam, quam sibi intulerat, subiungens tamen: *Ceterum non videat faciem meam, licet aliquando tanquam pater iuste illo supplicio illum potuisset mulctare.* Perfecta igitur observantia praeeptorum postulat, ut non solum illa impleamus quoad substantiam, sed etiam quoad modum, et circumstantias, etiamsi defectus illarum quandoque non sit culpa mortalis. Idque non monuisse Spiritum sanctum existimo in illis verbis (*Psal. 3*): *Iustus in mandatis eius voluit nimis.* Nam omnia explicatione eorum qui assuerant, eo loco volutatem per contemplationem viro iusto moneri, ita ut per verbum illud, *voluit*, suadeatur volare, iuxta illud Davidis (*Psal. 54*): *Quis dabit mihi pennas, ut columbae, et volabo? Cui expositioni non repugnamus, quia fundamentum habet in originali hebraeo, ubi eadem vox significat *velle*, et *volare*, ut illius idiomatis periti adnotarunt. Omissa inquam hæc expositione, sensus est, illud esse viri iusti ingonium, ut illud quod in observantia mandatorum Dei nimium videtur, ipse velit id opere ipso complere, et neque *iota*, aut unum apicem divinae legis praeterire.*

Postquam impleti sunt dies purificationis eius. Bene inquit, *impleti sunt dies*; nam dies felices adventus Christi in mundum praevidentis regis vales, dies plenos illos vocavit, *dies pleni inveniuntur in eis.* Iob quidem mentis aciem convertens ad dies qui Christi adventum praecesserunt, vacuum gemens illos vocabat: *Sicut mercenarius praestolatur finem operi sui, et ego habui menses vacuos.* Vacuos quidem intelligit felicitate, quam secum tulit Christi adventus, vel certe plenitudine illa, de qua divus Paulus (*ad Gal. 4*): *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Tempus dierum nostrorum in hunc modum Aristoteles sic definit: *Tempus est numerus, et mensura motus secundum primum, et posterius: ante adventum Christi nullam rem tempus mensuravit, quin perfectiorem et nobiliorum mensurare potuisset; adveniente ta-*

